



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Marcvlf Monachi Formvlarvm Libri Dvo

Marculfus <Monachus>

Paris, 1635

Vorsatz

urn:nbn:de:hbz:466:1-10644



ILLVSTRISS. AMPLISSIMOQ. VIRO
NICOLAO BRVLARTO
SILERIO, FRANCIAE
CANCELLARIO

HIERONYMVS BIGNONIVS S. D.

PUBLICORVM pri-
uatorumque nego-
tiorū vetustissimas
formulas, à Marcul-
fo & aliis eiusdem
ferè ætatis scripto-
ribus concinnatas, alterius quam
tui nominis auspiciis, vir illustrissi-
me, in publicum proferre nolui nec
fanè debui. Principalius namque
exempla litterarum, & regum no-
strorum diplomata, amplissimadi-
gnitas iure quodam suo sibi vindicabat: alioqui enim in leges com-

ij

misisse meritò putarer, quæ anuli & imaginis principum cui præpositus es, rationem omnem tibi reddi sanxerunt. Iudiciorum quoque antiquissimum ordinem, negotiorum omnium gerendorum formam, quæ apud maiores nostros frequetabantur, non alium præter te patronum quærere par erat: te inquam quem togæ summum decus, legum sacratissimarum custodem, & gloriam litterarum, nō tam illustrissimi muneris auctoritate quam meritis omnes agnoscunt. Doleo sanè Marculfum nostrū trita, obsoleta & omnino rustica veste amplitudinē tuam salutare. Sed senex est & septuaginta iam annos natū se scripsisse testatur, nunc certè nongétis aut mille annis maior est, sæculumque sine fuso representat. Erunt fortassis qui specie magis quā veritate capti horridam illius canitiem aspernabuntur. Tu

vero amplissime Brularte omnium
minimè ignoras historiam, & quæ
ad eam pertinent, non tantum dele-
tare, sed & omnino necessariā esse,
quomodo cunque illa scripta sit, at-
que etiam vndique exquirendam.
Tum à maioribus nostris sermonis
elegantiam & extranei eloquij peri-
tiām exigere frustrā ac forsitan in-
humanum esset, quādo inest omni-
bus rebus velut quidam orbis, adeo
vt ipsi quoque Romani non modo
moribus sed eloquio à patribus de-
generarint, vt disertissimus ille Afer
Tertullianus testatur. Vnum illud
spōdere ausim plura hunc librum in
recessu præstare, quā in fronte pol-
liceatur. Rerum si quidē nostrarum
infinitas origines aperit, & permul-
ta antiquitatis nōstræ arcana reclu-
dit, quæ antea latuerant, denique
omnino ad historiæ & iuris Franco-
rum illustrationem confert. Quo

ā iiij

etiam nomine tibi hoc opus deberi
nemo negauerit, qui & omnigen-
eris disciplinas apprimè calles, & horū
studiorum scientissimus existis. Præ-
tereo præstantissimas ingenij dotes,
fœlicissimè obitas legationes, maxi-
ma regni negotia à te gesta olim, ho-
dieque geri; quin & altæ pacis qua
fruimur, præcipuum auctorem, ad-
iutorem & ministrum fuisse, ei con-
seruandę sub maximi regis auspiciis
diu elaborasse, ac tandem veluti cla-
uo reipublicæ dies noctesq. incum-
bere. Quæ quidem latius persequen-
da essent, ni & laudum tuarū copia
& ingenij nostri tenuitas obstaret.
Accipe igitur hoc munusculum, sua
quidem natura tibi debitum, ab illo
autem oblatum, qui & virtutum ad-
miratione & beneficij memoria se
tibi deuinctum esse profitetur. Me
quippe memini cù principi incom-
parabili H E N R I C O M A G N O

munuscum litterarum De regum
nostrorum dignitate salutatus ad-
ferrem, memini inquam me à te illi
commendatum , tantaque comita-
te exceptum fuisse , vt planè ingra-
tus sim ni perpetuò meminerim. Sit
ergo exiguum hoc donum mei in
te obsequij & obseruantiae pignus,
dum possim maiora, quæque te ma-
gis deceant , exequi. Vale, vir am-
plissime , Lutetia Pariforum Kal.
Decemb. c i o i o c x x v

a iiiij